

SUMMO SECUNDANTE NUMINE!  
DISSERTATIO PHYSICA,  
DE

ANIMA VI-  
VENTE BRU-  
TORUM,

*Quam,*

Permissu AMPLISS: FACULT. PHILOSOPH.  
*In Reg. Acad. Aboënsi,*  
SUB PRÆSIDIO,  
VIRI AMPLISSIMI,

DN. M. PETRI HAHN,

Scient. Nat. Prof. & Biblioth.  
Celeberrimi,

*Publica Disquisitioni modestè submittit*

SVENO S. NJDESESRÖM  
*Wex: Smol. Al. Reg.*

Ad diem si DEO videbitur 12 Novemb.  
A. 1704. in Audit. Maximo.

---

Impr. apud Jo. WAL.

DISSEMINATING PHYSICAL

# EXHIBIT V FOR THE MUSEUM

THE NATIONAL MUSEUM  
WASHINGTON, D. C.

THE MUSEUM OF THE  
CITY OF WASHINGTON

EXHIBIT V  
FOR THE  
MUSEUM

THE NATIONAL MUSEUM



§. I.

**F**ilosophiam naturalem, multis obstructam esse difficultatibus, neminem, qui eam vel extremis degustavit labris, iturum inficias credo: vix tamen alia magis, quam ea, quæ de Animabus Brutorum est quæstio, omnibus seculis eruditorum exercuit ingenia. Non ergo mirum, quando talentum ingenii, cum argumenti obscuritate confero, si in diversa trahatur animus: maxime vero ubi in tam diversas sententias abeunt eruditi; adeo ut neque inter summæ eruditionis viros Patriæ Philosophos, adhuc composita lis sit. Si ergo, in tanto philosophantium diffidio, ad palatum omnium loqui non potero (in duabus enim sententiis oppositis consistere nequit veritas)

A

icias

sciat BENEV. LECT. me non eo audaciæ  
 progressum, ut ego Philosophiæ tyro,  
 fundamentis in neutra jactis, erudito-  
 rum damnare mihi assumam sententiam;  
 sed ea tantum, quæ mihi verisimiliora  
 videntur velle proferre, & tantum abesse,  
 ut cuiquam meam obtrudam sententiam;  
 ut potius meliora docentem, paratus  
 sim sequi. Brevitate autem uti, cum  
 fata jubeant duriora, statim ipsam ma-  
 teriæ tractationem, utinam feliciter!  
 aggredior; idque omni omiſſa verbo-  
 rum pompa, contentus utpote, verbis  
 quam simplicissimis, animi sensa expri-  
 mere, & quoad fieri potest, in tam ab  
 intellectu mortalium remota materia,  
 in alto latentem eruere posse veritatem.

### §. I I.

Philosophi, eruditionis famâ hodie  
 I conspicui, duo quasi constituunt a-  
 gmina, quorum unum, rationem philo-  
 sophandi Aristotelicam; alterum Carte-  
 sianam, ut plurimum sequitur: illud,  
 prin-

principiorum metaphysicorum ope; hoc Mechanicorum, veritatem investigare conatur; In quibusdam, amicè consentiunt; in aliis autem toto cælo discrepant. Inprimis tamen de materia quam nunc acturi sumus, adversis concurrunt frontibus. Cartesius enim, cujus acumen ingenii, omnis miratur posteritas, de novo Philosophiam naturalem auspicaturus, materiam omnium corporum eandem, e motu autem, omnem eorundem diversitatem, profluere, supposuit. Quam hypothesein, quomodo nimirum tria Elementa Cartesii, & omnia corpora cælestia sunt efformata etiam hic apponerem, nisi imperata prohiberet brevitatis: qui vero eam desiderant, ex principiis Philosophicis Cartesii & Svicero, qui illam brevius tradit, petant. Ille inquam, quamvis fateatur, se non ad easdem motus leges, formationem animalium explicare posse ut in diss: de Methodo p. 24. videre est: *A descriptione corporum inani-*

malorum & plantarum transivi ad animalia, & specialim ad hominem, sed quia nondum tantam istorum adeptus eram cognitionem, ut de iis eadem qua de ceteris Methodo tractare possem, h. e. demonstrando effectus per causas, & ostendendo ex quibus seminibus, quove modo natura ea producere debeat, contentus fui supponere, DEUM formare corpus hominis uni e nostris omnino simile, tam in externa membrorum figura, quam in interna organorum conformatione, &c. Nihilq; ex professo, de anima brutorum, publici juris fecerit; sed tantum sanguinis motum, & variam corporis animalis organorum dispositionem descripserit: in Resp: tamen quartis pag. 110. dicit: Nullum plane in ipsis (puta brutis) principium motus à nobis cognosci præter solam dispositionem organorum & continuum affluxum spirituum; qui à calore cordis sanguinem attenuantis producuntur. Et Antonius le Grand, qui Philosophiam, ad normam principiorum Cartesianorum conscripsit, in Parte septima Art. 8vo, hunc in

in modum mentem suam de animabus  
 brutorum prodit : Dico igitur, nullam in  
 brutis animantibus, præter organorum dispo-  
 sitionem & corporis figurationem animam  
 dari. Adeo ut omnes motus, qui in eis per-  
 aguntur, a solo spirituum influxu, & orga-  
 norum debita compositione dependant. Non  
 hoc mirum videri debet, quum omnes nostræ  
 actiones quæ animo non advertente fiunt, à  
 simili causa producantur, ut respirationis, cor-  
 dis motus, ciborum digestio & talia. Nam  
 omnes illæ actiones non aliæ videntur esse,  
 quam quæ in Automato aut machina fieri  
 possunt. Quod uno exemplo sit manifestum:  
 quum e summo loco labuntur, manus, quæ ca-  
 put tueantur in terram demittunt, quod sane  
 nulla animæ opera faciunt; sed tantum quia  
 fabrica corporis nostri sic composita est, ut  
 aspectus imminentis lapsus, ad cerebrum per-  
 veniens, spiritus animales ad nervos trans-  
 mittat, qui brachiis & manibus movendis in-  
 serviunt: Quum illud invita anima aut sal-  
 tem non advertente peragatur. Et paulo in-  
 ferius, hanc sententiam etiam in sacris  
 pan-

pandectis, calcuos obtinere dicit: ut  
 Levit. 17. *Est enim anima omnis carnis :  
 sanguis est illi anime vice.* Ex quibus o-  
 mnibus, colligere in expedito est, Bruta  
 ad mentem illorum præcipue vero po-  
 sterioris, tantum ex concinna materiæ  
 & partium dispositione moveri, quo mo-  
 do moveri artificiosissima subtilissimaq;  
 automata solent. quæ opinio, etiam Svi-  
 cerum, Claubergium & plures alios ma-  
 gni nominis, & de re literaria optime  
 meritos viros, invenit Patronos.

### §. III.

**S**i mihi vix pubertatis annos egresso,  
 Sin tanta doctorum virorum corona,  
 lingua metu hæreat, & judicium ti-  
 more sit impeditum, nemini, nisi cui  
 omnis pueritiæ oblitterata est memoria,  
 novum visum iri puto. Animum tamen  
 ipse Cartesius mihi addit, dubitationem  
 omnibus, in rerum contemplatione oc-  
 cupatis, non solum permittendo; verum  
 etiam svadendo. Non ergo illum ægrè  
 la-



laturum spero, si ego sciendi cupidus dubitavero, consiliumque intellectus habuero, num DEUS, motus, materia ipsa, vel aliud quoddam principium, corpora brutorum, tali membrorum organorumque apparatu, efformet. Quod attinet materiam, res in propatulo est, cum moles sit rudis & iners, nec nisi ab externo principio moveri possit. Nec motus, causa istius rei esse potest: ratio enim dicente Cartesio monstrari nequit, cur secundum leges motus naturales, membra potius hanc quam illam figuram habentia efformet, ut in formatione corporum cœlestium facere conatur. Insuper, ad mentem Recentiorum, tantum modus est rei, determinationem ergo, ab alio quodam principio ut accipiat, necesse est. Illudque erit vel DEUS, sed, si hoc, frustranea esset Benedictio Divina, in prima creatione rerum, Brutis, non homini tantum communicata Gen. i. Nec inter creationem & generationem, aliqua intercederet

distinctio. Sponte ergo sequitur, aliam  
 extra DEUM causam dari, cui effectus  
 ille adscribendus. Nec *Le Grand* me mo-  
 vet, ubi supponit: *Tam maris quam fœmi-  
 na semen, ex omnibus partibus ipsorum de-  
 fluere, aliquamque cum eo principio similitu-  
 dinem habere, a quo prodit.* Hoc enim nullo  
 fieri potest modo: quandoquidem cor-  
 pus illud fluidum sanguis, à corde, per  
 arterias & venas, ad totum corpus ir-  
 rigandum defertur, peractoque circui-  
 ru, tota sanguinis massa ad cor iterum  
 successive redit. Ideoque hæc sanguinis  
 pars, non magis ad restaurandas partes, in  
 pede quam manu deperditas destinata  
 est. Quam igitur similitudinem, semen  
 e sanguine elaboratum, cum membris  
 haberet, si mechanicè esset explicanda  
 non video. Præterea de motu animalium  
 mechanico tradita, non tantæ sunt evi-  
 dentia, ut assensum extorqueant, respi-  
 rationem enim, sanguinis motum, cibo-  
 rum digestionem, aliaque quæ ab apta  
 nervorum structura (quam libenter ad-  
 mitto

mitto dependent, mechanicè explicari  
 posse facile largior. Felem autem loca  
 tenebricola sectari, ne a muribus, quibus  
 insidias facit conspiciatur : canem in do-  
 mo ferculis plena relictum, licet fame  
 urgeatur cibo posse abstinere, si eo vesci  
 ipsi fuerit interdictum, & quod magis  
 mirandum : canes informatione imbu-  
 tos, tabellarii etiam fungi officio, adque  
 domini sui amicos literas perferre. sed nū  
 inquam etiam hæc omnia, à principio  
 mechanico profluant operæ pretiū cum  
 dubitatione investigare. quod fit faci-  
 lius, si cum automato conferantur. In-  
 stituamus igitur comparisonem inter  
 canem & horologium : hoc rotulis rite  
 dispositis necessario ponderibus move-  
 tur, nec invariatis organis à motu ces-  
 sare potest, sed eodem semper modo  
 illum continuat (modo pondera ubi re-  
 quiritur attollantur) observatisque statis  
 temporum intervallis horas indicat ; il-  
 le nullo externo impulsore, actiones  
 suas nunc intermittit, nunc repetit, neq̄

statas vices in agendo servat, nec semper easdem exercet operationes, sed nunc edit, nunc bibit, nunc domum ingreditur, nunc egreditur, nunc utilia sequitur, nunc noxia fugit. Spiritus in super animales, qui suo in membra influxu, omnis in corpore causa sunt motus, indifferenter se ad omnes corporis partes habent. Canis tamen pro lubitu, pedem, caudam, linguam, vel totum corpus movere potest. quod, fieri non posset, nisi ab aliquo illam determinationem acciperent. Nec eos à motu, qui ab objectis, ad sensuum, organa transfertur, determinari videtur probabile, ut exemplo supra allato, *Le Grand* evincere conatur; si enim tantum aspectus imminentis lapsus, ad cerebrum perveniens, spiritus animales, in nervos manuum motui destinatos impelleret, non utique cæcus, de excelso decidens loco, caput manibus tueri conaretur, cum sensuum organa, quibus impulsus objectorum ad cerebrum transmitti de-  
 be-

beret, in ipso sint destructa. Præterea necessario influerent, siquidem mechanicæ; & per consequens *αὐτόχρησι*, qui de summitatibus turrium, se projiciunt, manus cohibere non possent, quo minus illis capitis averterent periculum: utrique autem consequentiæ experientia reclamat. sed adhuc mihi à Cartesio Objici audio: ab oculis claudendis non posse nos cohibere, si quis, manum ad oculos, tanquam nos verberaturus, extenderit; licet sciamus, eum nobis esse amicum, & non nisi joco id facere: eos ergo claudi certum est, non opera animæ, cum id fiat contra nostram voluntatem, sed motus ille excitat alium motus in cerebro, qui deducit spiritus animales in musculos, qui palpebras deprimunt. Verum mirum, illam palpebrarum depressionem impediri, ut experientia testatur, si quis sibi ipsi colaphum intentaret. quæ tamen, ad præscriptas a Cartesio motus leges, fieret necessario: subitanea enim manuum mearum

& amici ad oculum extensio, eundem in organo efficiunt motum, in cerebro & palpebris ergo, ut similem motus ille produceret effectum necesse. Nequaquam ergo contra voluntatem, eas & reliqua membra (si illa excipias motuum genera, quæ semper in corpore fiunt, nec animæ imperio sisti possunt) moveri, mihi persuasum habeo; reliquos suo abundare permitto iudicio. Qui enim animo aliis intento, in corpore quasi præter voluntatem, oriuntur motus, ut e. gr. in iis, quorum certa corporis pars, in perpetua est agitatione, seriis ubi anima occupata est cogitationibus, non ab organorum tantum dependere structura; tum enim necessario fierent, nec ad imperium animæ cessarent. si nullam cum ea haberent communionem; sed ad nutum ipsius, initio, antequam consuetudo hæc invaluit facta, postea vero, poris beneficio spirituum animalium, in iis ultro citroque cursitantium dilatatis, poros eosdem,

nisi

nisi anima hoc ipsum prohibeat, sponte  
admittere statuendum.

§. IV.

Porro, utrum bruta aliquo gaudeant  
sensu: & num sensus brutis, si nihil  
præter concinnam aptitudinem partium  
haberent, inesse posset, dubitatione for-  
tassis inquirendum. Ad prius autem  
quod attinet, supervacaneum videtur,  
tempus dubitando, de re meridiana luce  
clariore, terere. Eadem enim sensus  
organa, nec non similem, interdum et-  
iam majorem, eorundem usum, in bru-  
tis, quam homineprehendimus: ut  
taceam memoriam, calliditatem, ut  
& amorem erga eos, a quibus beneficiis  
affecti sunt. Quibus omnibus quidam  
decepti, etiam aliqualem ratiocinandi fa-  
cultatem ipsis tribuere haud veriti sunt,  
de posteriori igitur omnis futura erit  
dubitatio. Sed omnium primo, recen-  
tiorum mens, de sensu brutorum præ-  
libanda: qui statuunt in brutis tantum  
fieri motum organi corporei, nervorū

& spirituum animalium, qui glandulam pinealem, pro motus diversitate varie inclinant. Sed ut reliqua ab ipsis allata argumenta, pro adstruenda efformatione membrorum, motuque brutorum evincendo mechanico exigua; ita hæc nullam prorsus, videntur habere probabilitatem. Neque enim subtilitas, nec varia organorum structura, nec motus, aliquod sentiendi constituit principium: hac enim ratione ignis, automata & aliæ machinæ sentirent. Nec subtilitas, organorum concinnitas, & motus in uno subjecto; nam corpus quamvis fuerit subtile, & insuper in variis organis agitatum, naturam tamen suam non deponit, quæ (dicentibus illis) in nuda consistit extensione; extensionem a quidquam cum sensu habere commune non video. Idem principiorum Peripateticorum ope evincitur: quatuor enim elementis & tribus principiis Chymicis, corpora composita ad mentem illorum conflantur. Si ergo his tantum bruta  
suam



suam deberent essentiam, vires illorum nequaquam superarent; nam nullus effectus virtutem suæ causæ excedit: sed visum, auditum, amorem aliosque qui in Brutis cernuntur affectus, ex elementorum temperatura produci, non videtur possibile. Et sicut argumentis Philosophicis non svaderi; sic nec scripturæ sacræ testimonio evinci potest hæc sententia: nam Levit. 17.17 habetur

כי נפש הבשר ברוח *Quia anima carnis in sanguine:* ex quibus verbis satis superq̄ elicitor, reliqua dicta quæ ipsis patrocinari videntur, tropice non vero proprie intelligenda esse. Quod vel inde fit manifestum, quia non tantum de Brutorū sed etiam de hominis anima hoc idem v. 15. asseritur: כי נפש כל־בשר דמו הוא *Quia anima omnis carnis sanguis ipsius est.* si igitur est anima omnis carnis, utique etiam hominis erit; quia non tantum Bruta; sed etiam homines carne constant. Illud vero absurdum esse, sacra docet pagina. Sequitur ergo; sensum

lite-

literalem hic non esse retinendum, ut modo dixi. vocabulum vero **בשר** etiam de homine dici probatur Gen. 6. 14. **והני הנבי מביא את המבול מים על הארץ לשהת כל בשר אשר בו רוח חיים** Non enim tantum animalia rationis expertia, diluvio perire; sed homines & bestias, nullo habito discrimine, pestis illa devoravit.

## §. V,

**S**iquidem allatas ob rationes, cum Cartesianis facere haud possim, restat ut dubitatione investigem, nam opinio Peripateticorum de Animabus Brutorum retineri possit: qui statuunt *Formam animalium ratione expertium, substantiam esse immaterialem.* Sed haec hactenus instituta dubitationes hanc reddunt faciliorem. Cum enim immediate DEO, motui, vel materiae ipsi, corporum elaboratio, motus sensusque Brutorum adscribi non possint: necessario ipsis aliud quoddam inerit principium, quod haec omnia moderatur: nihili enim nullae sunt ope-

operationes. Quod etiam verbo DEI est conforme dicitur enim  $\text{אנשׁ חיה}$  *anima vivens* Gen. 1. & Proverb. 12. 10 dicit Spiritus S. per Salomonem : *justum vitam jumenti sui curare, miserationes autem impiorum esse miserationes crudelis* : nemo autem crudelis ob misericordiam, machinæ denegatam dici potest. Huic vero sententiæ, qui aliter sentiunt, hoc argumentum, quod illi putant invictissimum opponunt : Si anima Brutorum est substantia à materia distincta : aut erit divisibilis : aut non divisibilis (tertium non datur, dividi enim & non dividi contradictione opponuntur : contradicentia autem carent medio : non ergo fingendam aliquam mediæ naturæ substantiam, inter hæc duo substantiarum genera ; cum nihil in Philosophia statui debeat, cujus distinctam non habemus ideam) sed si divisibilis, non est quid a materiâ diversum : si vero indivisibilis, est spiritus ; & per consequens substantia intelligens. Resp. Animam Brutorum

partim divisibilem; partim indivisibilem esse non dico. nec enim necesse substantiam indivisibilem statim esse cogitantem, nam cogitatio est accidens: non ergo substantiam constituit sed potius substantiam seu subjectum, cui inest requirit. Nec substantias intelligentes desinere esse substantias, si cogitatio omnipotentia divinâ, ipsis esset detracta, mihi persuasum habeo. Quare nihil contradictorium in Philosophia introducendum facile largior; apodictica autem veritas in omnibus optanda quidem; sed in hac mentis cæcitate nunquam proh dolor! speranda. esse substantiam immaterialem, quæ corpori Brutorum præest, multæ operationes ejusdem evincunt; proprietates vero (utpote à posteriori tantum nota) quoad maximam partem nos fugiunt; nec propterea nihil de illa in Philosophia dicendum, hac enim ratione de Angelis etiam a posteriori notis, nihil Philosopho differendum.

SOLI DEO GLORIA.